

**Dissertatio medica inauguralis, de causis februm iisdemque praecedendis  
... / eruditorum examini subijcit Andreas Bain.**

**Contributors**

Bain, Andrew, -1827.  
Lister, Dr  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, 1780.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/h7ucna33>

**Provider**

Royal College of Surgeons


**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>




DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Causis Februm iisdemque praeci-  
dendis.



DISSERTATIO MEDICA

IN AUCURIA

Causa Febrium intermittens praeci-

dendis.

*Tracts 1771*  
DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE

Causis Februm iisdemque praeci-  
dendis.

QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,  
D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.  
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON  
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;  
PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

A N D R E A S B A I N,  
BRITANNUS,

Societatis Physicae Edinensis Socius Honorarius.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I:  
Apud BALFOUR et SMELLIE,  
Academiae Typographos.

Mr Lister.

From his humble Servant

The Author

Viro de patria optime merito,

ARCHIBALDO COCKBURN,

ARMIGERO,

DE COCKPEN,

Comitatus Edinensis Vicecomiti,

Juris legumque in primis perito,

Et omnibus quibus illum novisse contigerit,

Miro amore dilecto,

Qui, in morem Phocionis,

Privatus non minus lenis,

Quam magistratus sedulus, aequus, audax, et interritus,

Quocumque, si ingenii elegantiam

Animique benevolentiam spectaveris,

Paucissimi aequalium possunt comparari;

Hanc dissertationem,

Ut parvulum summae,

Qua virtutes ejus, et privatas et publicas, prosequitur,

Observantiae monumentum,

Sacram esse voluit

ANDREAS BAIN.

ARCHIBALDO COCKBURN

1855

DE COCKBURN

Comitate Edinensis Vicecomes

Ipse legatione in prima parte

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

et omnibus quibus illud non est

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

DE

Causis Februm iisdemque praecidendis.

### PROOEMIUM.

CUM febres se adeo frequenter ostendant, adeoque funestae sint, ut generis humani dimidium rapere infimulentur, omnis investigatio eas spectans summi momenti sit oportet. Curationem februm jam executi sunt multi, iique peritia et experientia venerabiles, medici. Rationes vero cum omnes iis medendi, quae adhuc repertae, parum saepe procedant, arti mortales adversus impetum earum tutos reddendi studere haud dubie nostrum. Praeterea, hi morbi, quamvis interdum possunt

A

depelli,

depelli, vires corpori magnopere convellunt, paroxysmis febrilibus in futurum opportunius efficiunt, morbisve, qui medicinae non parent, fundamenta jaciunt. In dissertatiuncula igitur sequente, causas quae febrem vulgo soleant movere, et rationes actioni earum occurrendi efficacissimas, considerare decrevimus.

Strages horrenda, quam morbi epidemice grassantes edere consueverunt, hocque, quod eos ex toto vitare, minusve saltem graves efficere in manu mortalium, nos, ut speramus, satis excusatos habebunt, si a femita trita paululum deflectamus, partemque prophylaxeos pernecessariam illustrandam suscipiamus.

## FEBRIUM SEMINIA.

Quae causae febrim movent, eae nonnunquam adeo potentes sunt, ut morbum, nullo seminio, sensibus saltem percipiendo, substante, excitent. Quod posteris Lancisius celebris prodidit, id admodum memorabile, remque ita se habere, testatur. Triginta viros foeminasque Romanos, loco honestissimo natos, ostium Tyberinum versus, animi causa naviculis profectos, vento se repente vertente

et ab austro spirare, paludesque verrere incipiente, febre tertiana esse correptos, omnesque, si unum excipias, brevi diem supremum obiisse. Hoc vero raro incidit; namque dum quisque, morbis epidemicis invalescentibus, contagio obicitur, alii, pauci interdum, corripuntur, alii illaesi manent. Hanc in rem diligenter inquirere non tantum volupe, sed utilissimum, quod successus in febribus praecavendis prosperi, a nostra earum rerum, quae causarum excitantium actionem regunt, notitia magna ex parte pendebunt.

Quod actioni earum potissimum favet, quodque pro seminio praecipuo habemus, id est ea corporis conditio, quae debilitas appellatur, five hanc fecerunt sedantia, five nimia vasorum plenitudo. Huic addere possumus effectum status debilis plenique perpetuum, mobilitatem systematis nervosi adauctam. Igitur primum considerandae sunt debilitas et plenitudo.

1. *Debilitas.*—Animus non parum inclinatur, ut debilitatem systematis pro fundamento febrium habeamus, cum ab iis, qui pleraque febres spectantia accuratissime notarunt, ante debilitatos armis quasi, quibus contra contagium pugnetur, spoliari, omnibusque morbis epidemicis grassantibus

graissantibus opportunissimos effici, discamus. Causam febris proximam hoc in loco excutere non nostrum esse videtur. Cullenii celeberrimi propriam, utpote quae ingeniosissima esse, optimoque fundamento inniti videatur, recipimus, eique causas debilitantes, cum vim nervosam evidenter imminuant, atoniae spasmoque favere assentimur. Neminem quidem potest latere signa debilitatis ortum spasmi constanter praecedere. Nonnunquam non desunt, quae contagium applicari inersque manere probant, donec potestatem ejus latentem excitent intemperantia, affectus animi, et similia. Nec hoc mirabile, si nobiscum reputamus causas ipsas excitantes in systema nervosum agere, debilitatem facere, et, ut non absque ratione gravi potest poni, effectus suos eo certius, quo magis debile systema nervosum, edituras. Nam systema causis debilitantibus pro viribus suis obstitit, ut exemplum frigoris plane ostendit. Hoc enim raro agit, nisi aliae causae debilitantes adfuerint. Ita mortales his causis, pro viribus systematis vel contagioni vel potestati frigoris occurrentibus, plerumque resistent.

Debilitatem inducunt omnia, quae vim nervosam, et igitur has quae ab energia cerebri debita pendent, functiones imminuunt. Horum autem praecipua sunt :

a. *Victus parcior et insalubris.*—Cum varia corporis humani organa fecernentia non parum et solidorum et humorum ex eo constanter expellant, supplementum novum perpetuo desideratur, quod et ad corporis incrementum conferat, et detrimenta, quae in muneribus vitae communibus obeundis capit, reficiat. Si hoc, vel ob victum nimis parcum vel insalubrem, non rite suppeditetur, humores tenuiores evadunt, solida relaxantur, corpus emacrescit, circuitus sanguinis languescit, summa debilitas oritur. Morbi contagiosi, experientia teste, in pauperuculos victuque tenuiore utentes gravius saevire consuerunt. Quibus, contra, ad opipare edendum, vinumque modice bibendum, res suppetit, ii impetu eorum plerumque carent.

b. *Vita Sedentaria.*—Natura hominem ad actionem et exercitationem haud dubie destinavit. Igitur a legibus ejus absque summo suo incommodo nunquam deflectit. Motus musculorum modicus ad valetudinem commodam conservandam semper confert, et, si functiones corporeas rite velis peragere, omnino necessarius. Exercitatione neglecta, mala innumera invadunt. Vis nervosa deficere incipit, concoctio et nutritio non amplius absolvuntur, vires musculares imminuuntur, et corpus universum

versum debile et irritabile redditur. Hinc omnes artes, quae absque vita sedentaria nequeunt exerceri, insalubres. Effectus, quos modo posuimus, nocivi certiores, si solitudo vel nimia mentis applicatio inertiae adjungatur. Nam homo ad societatem natus est, et oblectamenta rationalia inde deducenda eum maxima voluptatum, quas vita malis fere innumeris obnoxia habet, evidenter afficiunt.

c. *Affectus animum contristantes.*—Is corpus inter et mentem consensus est, ut omnia, quae hanc turbant, illud quoque afficiant. Motus igitur animi causis morborum merito adnumerantur. Effectus excitantium repentini sunt, et vitam gravitate nonnunquam extinguunt. Quae contristantes, ut metum, moestitiam, et amorem infelicem, subsequuntur, ea quidem tardiora, sed frequenter non minus nociva. Metus potestas admodum sedans. Actionem cordis arteriarumque imminuit, quod facit ut sanguis ad superficiem, ut ex ejus frigore, pallore, contractione apparet, non amplius rite propellatur. Hanc potestatem debilitantem mortem etiam aliquando facere posse comperimus; magis modicam vero excipit renifus systematis, qui per signa febris pleraque se ostendit. Debilitatem igitur et spasmus, quae febri fundamenta jaciunt, aliqua ex parte excitare valet. Timorem actioni contagionis amicum

micum esse e testimonio Riviniano apparet, qui neminem peste Leipſienſi, qui non in eam per vim metus inciderat, corripi ſe vidiffe refert.

d. *Venus immodica.*—Nemo, qui foeminae notitiam habere conſuevit, nimiam venerem debilitatem facere poſſe mirabitur. Senſus voluptatis adeo vehemens et magnus eſt, ut totum ſyſtema nervoſum conturbetur et muſculi univerſi convellantur. Hinc anhelatio, palpitation, ſyncope, epilepſia, mors ipſa aliquando, oriuntur. Opere peracto, totius corporis languor ſentitur, qui ſaepe in tempus non breve manet. Quinetiam ſemen e veſiculis feminalibus abſorptum corpus leniter excitat, adeo ut venus immodica, quae ſyſtema ſtimulo neceſſario privat, id hoc modo quoque debilitet. Quod celebris Diemerbroekius poſteris prodit, id ſupra poſita plane firmat. Recens connubio junctos peſti, quam alios, magis patere notavit.

e. *Potatio nimia.*—Ratione cum graviffima fuit obſervatum optima, ſi nimia, pernicioſa. Vinum modice ſumptum cardiacum eſt optimum et gratiffimum, corpori vigorem, animo hilaritatem, comparans. Caeterum, vinum aliique liquores ſpirituofi, ob vires ſtimulantes et ſedantes, non tantum ventriculo et inteſtinis, ſed etiam cerebro et  
nervis,

nervis, noxae esse valent. Nam nimis liberaliter sumptæ actionem systematis præter consuetudinem magnam efficiunt, impetum sanguinis augent, vasa distendunt, et corpus universum stimulant et calefaciunt. Hanc febriculam pro certo excipit aliquantum collapsus, organa concoctionis debilitantur, et omnes oeconomiae animalis functiones magis minusve laeduntur.

f. *Profusiones sanguinis, &c. nimiae.*—Nihil manifestius est, quam quod sanguinis detractio actionem systematis sanguiferi potentissime diminuit. Cum tonus hujus a tensione fibrarum muscularium pendeat, nisi vasa sanguifera omnino plena sint, adeo ut aequilibrium potestatem solidorum contrahentem inter et vim humorum expandentem conservetur, vires fibrarum muscularium propriae, et pro quantitate sanguinis detracti, et evacuatione magis minusve subita, imminuentur. Igitur, viribus omnium partium muscularibus debilitatis, cor, utpote quod musculus singularis sit, non aequè, ut ante, sanguinem propellere poterit. Hinc circuitus humorum languidior evadet, vis cerebri imminuetur, et debilitas idcirco metuenda progenerabitur.

g. *Calor madori adjunctus.*—Calor magnus, cum humiditate præsertim conjunctus, corpus admodum debile

et irritabile reddit. Hinc oritur inertia et appetitus prostratus plagi in calidioribus notabilis. Hoc superficiem relaxando, cursum sanguinis ad eam majorem faciendo, et ita eum ejusdem cerebrum versus impetum, qui ad functiones ejus rite peragendas necessarius, imminuendo, praestare videntur.

Quaedam aliae causae, quae, judicio omnium, debilitatem faciunt, ut fatigatio, vigilia, &c. memorandae fuerunt. Harum autem modus agendi e supra comprehensis facile intelligetur.

2. *Plenitudo*.—Haec in causa est, cur multi morbi, iique gravissimi, velut inflammationes, haemorrhagiae, febres, oriantur. Homines ad febres et debilitatem gignendo, et irritabilitatem augendo, proclives reddit. Debilitatem corpus contagioni in primis opportunum efficere, supra probare sumus conati. Igitur tantum superest, ut habitum corporeum plenior debilitatem creare demonstramus. Nimia sanguinis quantitas vasa ultra tonum naturalem distendit, et vigorem potestatis, qua se contrahunt, tandem imminuit. Hanc ob causam, pulsus arteriarum languescunt, organa, ad circuitum sanguinis promovendam necessaria, molem jam nimiam aegerrime propel-

lunt; aeger hebes, debilis, iners evadit, et omnes naturae potestates opprimuntur.

Praeterea, nonnullae ex ejus causis tales sunt, quales ad debilitatem protinus creandam, plane accommodantur.

Ob nexum illum arctissimum, forsitan inexplicabilem, qui vasa sanguifera inter et systema nervosum intercedit, mobilitas nimia, proclivitas ad spasmos, aliosque hoc genus morbos, a plenitudine oriri consueverunt. Insuper, plenitudo, vasa nimis tendendo, ad diathesin phlogisticam movendam non parum confert. Si nimia sanguinis quantitas subest, et vis systematis tonica eodem tempore per frigus augetur, vasa ad actionem violentam excitantur, vel febris progeneratur. Distensionem potissimum in causa esse, cur irritatio continuetur, hinc plane constat, quod omnia irritationis signa sanguinis detractione efficacissime tolluntur.

Causae autem praecipuae, quae plenitudinem faciunt, subsequuntur.

a. *Victus lautior.*—Humores corporis humani per excretionem diversas perpetuo imminuuntur; sed per alimenta saepius sumpta renovari consueverunt. Si ingesta in adulto excretorum quantitatem ulla ex parte excedant,

auctus

auctus humorum statusque plenus oriatur necesse est. Niam sanguinis quantitatem facillime gignit cibus valentior, potissimum animalis, liberaliter adhibitus. Animalis, ut omnes medici fatentur, plus nutrimenti quam quilibet alius praebet, quod magis quam vegetabilis viscidus, igiturque per cutis spiracula et renes aegrius excernitur. Cum res ita se habeant, non tantum in corpore diutius maneat, sed quantitatem nutritionis majorem utentibus sufficiat oportet. Liqueores meraciores idem praestant. Qui hoc genus maxime nutriunt, ii sunt cerevisiae fortiores, quae macilentos, plenos, et pingues brevi saepe reddunt.

b. *Corporis animique inertia.*—Exercitatio corpus univsum roborat, et tonum systemati arterioso justum comparat, quod in causa est, cur omnes excretiones, potissimum cutanea, quae omnium copiosissima, rite pergant. Inertia, contra, totum corpus debile reddit, vires arteriosas debilitat, et igitur omnes excretiones, praesertim cutaneam, imminuit. Hanc ob rationem, ingestis excreta excedentibus, morbida plenitudo brevi oriatur necesse est. Exercitationis mentis aequae ac corporis neglectus hos effectus perniciosos edere consuevit.

c. *Evacuationes solitae suppressae.*—Hujusmodi sunt perspiratio et menstrua suppressa vel parciora, profluvia,  
per

per fonticulos, fetacea, &c. facta, exsiccata. Haec plenitudinem facere posse nemo, qui serio secum reputat, ambigere potest. Saepe tamen incidit, una excretionē suppressa, aliam pro rata ratione augeri, adeo ut mala ab evacuationibus solitis suppressis vel parcis orta, non aequè numerosa sint ac aliter forent.

d. *Detractio sanguinis nimis frequens.*—In hac plenitudinis causa explicanda, cum nonnullis paradoxon esse videatur, quam in reliquis, plus temporis operaeque ponere cogimur. Omnis sanguinis missio, ut supra comprehendimus, systematis sanguiferi actionem diminuit. Hac imminuta, excretiones quoque imminuuntur; namque hae magis minusve liberales, prout vis a tergo minuitur vel augetur. Quo parcius igitur partes humorum supervacaneae vel nocivae excernuntur, eo major earum quantitas in systemate sanguifero accumulabitur, et ingestis iisdem, dum potestates assimilantes per evacuationem nulla ex parte laeduntur, spatio brevissimo plenitudo orietur. Insuper, ut intestina, ob inediam nimis diu vacua relictā, se valide contrahunt, alvumque admodum astringunt, ita arteriae, sanguine saepius nimisque copiose detracto, se adeo constringunt, ut rursus, absque plenitudine quam ante evacuationem majore, rite nequeant distendi: Quod  
facit

facit ut excretiones sine summo periculo non possint restitui. His denique aliam rationem, cur detractio sanguinis frequens corpus nimis plenum efficiat, addere licet, systema, nempe, sanguine saepius emissio, quantitatem quam ante majorem assuefieri parare.

### CAUSÆ EXCITANTES.

Semina supra comprehensa, velut dietam parcio-  
rem, venerem nimiam, &c. corpus debilitare aptiusque, in quod  
causae excitantes agant, efficere compertum habemus.  
Utrum vero per se necne febres faciant, nondum videtur  
intelligi. Hoc ne quidem Cullenus ipse exponere con-  
atur; namque, super hac re verba faciens, modo sequente  
loquitur: ‘ But, whether any of these sedative powers be  
‘ alone the remote cause of fever, or if they only operate  
‘ either as they concur with the operation of marsh or  
‘ human effluvia, or as they give an opportunity to the  
‘ operation of cold, are questions not to be positively an-  
‘ swered.’

Cum haec res igitur tanta obscuritate involvitur, cum-  
que earum causarum, quae debilitatem faciunt, plerasque

jam

jam retulerimus, et qua ratione agant exposuerimus, de iis solis, quae febres haud dubie excitant, in praesentia differemus. Quae ab auctoribus enumerantur, eae numerosissimae.

Febres epidemice grassari cum tam saepe videamus, non opinari non possumus, inquinamenta in aërem diffusa, corporibusque mortalium admota, eas saepissime, et semper forsitan, excitare. Quanquam enim effluvia palustria et humana non semper se evidenter ostendunt, ea tamen subesse negare temerarium foret. Unaquaque in regione id caloris est, quod, certis rebus substantibus, miasmata palustria valet generare, quanquam non ea quantitate ut morbum epidemicum insignem facere; ea tamen ut homines habitum corporis singularem habentes invadere, et una cum debilitate vel frigore agere possint. Quantum effluvia humana spectat, cum ea adeo frequenter existere consideramus, causa est cur effectus eorum non magis insignes esse miremur. Nec admiratio nostra minui potest, nisi nobiscum reputaverimus ea quantitate, ut per se agere possint, rarius accumulari. Aliis quidem causis adjuncta, facile et potenter agunt. Febris justa igitur, etiam cum sporadice grassatur, vix frigori ipsi, sed quod verisimilius, miasmatis et contagioni, tribuenda. Dum vero frigus

causam

causam febris, stricte dictam, esse negamus, debilitati vel miasmatis palustribus et humanis adjunctum, ad febrem movendam, et ad eam inflammatione impertiendam, non parum conferre fatendum.

1. *Miasmata*.—Haec sunt ea effluvia, quae calor tempestatis calidioris e terra madida vel paludibus ascendere cogit. Omnis seculi experientia, regionum palustrum incolae febribus, praesertim intermittentibus, semper opportunos fuisse, testatur. Has febres in regionibus hujusmodi invalescere inquinamentis, a paludibus oriundis, vitio non absque causa fuit versum; nam in plagis alioquin salubribus vicina paludum febres infestant.

Intermittentes, quantum novimus, in regionibus paludosis, iisque solis, oriuntur, et, paludibus exsiccatis, non amplius invadunt. Qui se a paludibus satis longe abstinere, et exhalationes earum vitant, ii febribus carent. Neminem, contra, fugit nullam occupationem ab Europa recens advectis esse funestiores, quam sylvas cadere, et terram arbusculis liberare.

Quantum ad horum miasmaturum naturam attinet, eam adhuc magna ex parte ignoramus. Notissimum, multitudinem

tudinem insectorum innumeram loca paludosa tenere, ubi ea quae excernunt et ovula deponunt. Ad extremum cum fato concedunt, cadavera ibidem relinquunt. Non improbable autem, hanc materiae animalis et vegetabilis misturam, aliquantum fermentationis, quod miasmata procreat, per calorem solis subire. Calor praecipuum esse videtur quod fermentationem exfuscitat, et eam forsitan actionem quantitatemque ejus augendo, magna ex parte conservat. Ita quantitas dotesque ejus calori tempestatis pro rata parte respondebunt. Quae plerique mortalium, qui animum ad hanc rem considerandam admoverunt, notarunt, ea ab hac notione non abhorreere reperientur.

Miasmata a fermentatione, ut modo positum, oriri, hoc testatur, quod nec calor, nec humiditas, nec putredo sola, febres movere valet.

Quamquam calor ad miasmata progeneranda necessarius, quibusdam tamen assentire non possumus, calorem solum febres movere valere. Intra Zonam Torridam, quamvis calor intensus, nullae tamen, siccitate invalescente, febres oriuntur. Exemplum hujus luculentissimum in insula Sancti Christophori mihi contigit videre. Aestas fuit, non pluerat in quatuor menses, et calor pro-

pemodum

pemodum intolerandus. Incolae tamen capitis insulae Basse-terre, loci infalubritate infamis, valetudine aequae commoda, ac in plaga maxime temperata et amoena, sunt usi. Infuper, nihil notius, quam quod focii navales tempestatibus calidissimis, et infaluberrimis, ex toto sani manent, dum navem in alto tenent: Non citius vero prope littus paludosum in anchoris stant, quam febribus corripi incipiunt.

Mador solus haec miasmata gignere nequit, cum temporibus anni frigidis, et in regionibus ad septentriones vergentibus, licet plerumque continuatio imbrium sit, febres intermittentes rarius oriantur.

Quinetiam calor madori puro adjunctus febres excitare non valet; palus enim adsit limusve supra aquam emineat necesse est. Namque dum humus aqua cooperitur, licet calor sit intensus, et exhalatio non parva, intermittentes in homines non invadunt. Hujus sunt exempla innumera. Regio Nili vicina, auctoribus judicibus, inundatione ejus fluvii salubris efficitur. Caeterum, aqua cum recessit vel exhalavit, solumque rursus aërem contingit, morbi in Ægyptum protinus diffunduntur. Senacus quoque postleris prodit, multum aquae profundae et stagnan-

tis circa muros cujusdam urbis Germanicae fuisse collectum, in quam per longum temporis spatium sordes totius urbis devectae. Quamdiu aqua coopertae, nihil mali ortum; cum primum vero aquam summam attigerunt, superave eam eminerunt, febris funestissima loca vicina infestare coepit. Idem insuper firmat urbs Genevensis, ubi Lacus Lemannus in flumen Rhodanum influit sita, et aëre puro salubrique adhuc fruitur. Caeterum, fossis semel purgatis, febribus fuit vexata, quae tandem, aqua in illas regressa, cessarunt.

Alii putredinem febres generare posuerunt. Haec vero saepe innoxia, vel morbos ab iis, quos miasmata palustria faciunt, diversos excitat. Multis in urbibus, quae fordibus putridis abundant, morbi epidemici ex toto ignorantur. Nec in stabulis, quae effluviis putridis replentur, calor madorque febres unquam movere videntur. Haudquaquam tamen negandum, exhalationes a paludibus ortas, putredinem insigniter promovere, ut experimenta Lancisii et Senaci testimonium ostendunt. Aliquantum forsitan putredinis ad miasmata excitanda, et ad vires eorum augendas, non parum confert.

Miasmata

Miasmata palustria per se febres intermittentes movere, non genere, sed gradu tantum, potestatis hujusve forsitan intra spatium datum quantitate differre probabile. Omnibus in locis clausis, ad quae ventus non accedit, quam in apertioribus, fortiora esse, et aërem ad magnam a paludibus distantiam, nisi vento valentius spirante, non inquinare videri, quam maxime manifestum. Tantum nocent ad certum gradum conclusa; namque diffusa ex toto inertia evadunt. Rem ita se habere multorum experientia probat. Lancisius Euronotum, qui paludes Romae vicinas perflat, admodum infalubrem esse notavit. Hujus tamen effectus, experientia teste, ad eas partes urbis solas, quae paludibus proximae, se extendunt, dum urbs reliqua nihil inde noxae accipit. Insuper, celebris Homius, in dissertatione sua elegante de febre remittente, copias Britannicas in Flandria, quo propiores paludibus fuerunt, eo magis vexatas, et morbum, quo propius Bois-le-duc castra posuerunt, eo graviolem semper fuisse refert. Lindus quoque febrem Pensacolae, anno 1765, epidemice grassantem, nullos eorum, qui in navibus manserunt, et mille passus a littore in anchoris steterunt, occupasse memoriae tradit. Quinetiam notat, classe Britannica ad ostium Tyberinum, anno 1744, stante, naves littori proximas febrem contrahere coepisse, dum longius ab eo distantes morbo

morbo ex toto caruerunt. E quibus omnibus cogere licet, vires miásmatum, quo longius a fonte suo recedunt, esse minores.

2. *Contagio.*—Materia e corpore humano, vel sano vel morbo laborante, constanter exhalat, quae in aërem diffusa sive admista, raro ei, unde proficiscitur, eivse, qui ei hunc in modum dilutae objiciuntur, noxae est. Caeterum, locis in arctioribus accumulata, et longum in tempus circa corpus retenta, potestatem, quae ei objectis saepe funesta, nocentem sibi acquirit. Actio autem contagionis humanae eo magis perniciofa est, quo arctior locus est, quoque minus venti ad eum aspirat, ubi accumulatur et retinetur. Quae de febribus carcerum et nosocomiorum nuper observata sunt, ea rem ita se habere testantur.

Magnus caloris gradus quoque ad vires miasmata augendas multum facere potest. Calor in corpus humanum etiam agit, et, si madori adjungatur, proclivitatem ad putredinem dare valet. Hinc plagis in calidioribus ad putredinem vergunt febres.

A nemine hodie ambigitur ea, quae e corpore humano integerrimo exhalant, si quantitate magna accumulentur,

et

et circa corpus stagnando diu retineantur, hanc materiam nocivam datura. Caeterum, effluvia corporum morbidorum, potissimum febribus omnigenis laborantium, corruptionem supra comprehensam facilius subibunt, eamque generabunt.

Febrium quae oriuntur natura statum effluviiorum hominum virulentum febrium continuarum causam communem esse probabile reddit, cum conditione signorum tantum differant, quod regioni, tempestati, et similibus contagioni adjunctis, vimque ejus regentibus, potest referri.

E re generis humani est haec effluvia contagiosa, quod quoque de miasmatis palustribus supra notavimus, non se plerumque, saltem adeo ut vires nocivas retineant, longe lateque spargere. Namque diffusa naturam propriam eo usque amittunt, ut, maxime etiam nociva, effectus suos non amplius edant. Igitur ii potissimum, qui aegrotantes nutriunt, infici consuerunt.

Caeterum, quod commodum modo positum magnopere minuit, experientia funesta haec effluvia contagiosa, aegrotis remotis, diu manere, vel per vestimenta aut suppellectilem

pellectilem iis imbutam, ad loca longe deffita devehi posse demonstrat. Cum hoc incidit, febris fomite propagari dicitur. Ita in carcerem diu inclusi vestimenta infici, quanquam ipse morbo nunquam fuit correptus, et morbum cum aliis communicare valent, vel ipse ab iis infici, et deinde morbum sub forma contagionis vulgare potest. Non parum dolendum, quod hoc venenum singulare, cum a fomite proficiscitur, multo potentius esse reperitur, et febris eo mota multo gravior, quam cum a corpore infecto oritur. Quod forsitan incidit, quod contagio exemplo in posteriore aëri admiscetur, multoque magis diffunditur. Ita in mercibus infectis Marsiliae aperiendis, primum occupati peste magis subito correpti, quam ii in quibus per contagionem postea mota. In febre carcerum apud Curiam Londinensem, quae Old-Bailley appellatur, quadraginta in curia ipsa affecti sunt; sed morbus non se longius diffudit. Lindus quoque celeberrimus, qui in commodum generis humani tot et tanta scripsit, in modum sequentem verba facit: ‘ By a fixed attention to this  
‘ subject for many years past, I am convinced that the  
‘ body of the diseased, kept exactly neat and clean, is not  
‘ so liable to impress the taint, as his late wearing ap-  
‘ parel, dirty linen, and uncleanness of any sort about him,  
‘ long retained in the impure state.’ Celebris denique  
Pringelius,

Pringelius, e viginti tribus, qui tabernacula vetusta, in quibus aegroti infecti cubuerant, reficere iussi, septemdecim diem obiisse supremum, memoriae tradit. Quod fontem quidem veneni horrendum designat.

3. *Frigus*.—Pleraque febris genera potestati frigoris tributa. Id plures, quam pestem, famem, vel gladium, rapere, affirmat Sydenhamus. Caeterum, actio ejus in febribus movendis non rite ab auxilio, quod ab aliis causis remotis petit, fuit secreta. Frigus, nisi effluviis palustribus vel humanis adjungatur, nunquam typhum vel intermittentes, sed semper lenem synocham excitat. Pro impetu, quo applicatur, statuque corporis in quod agit, vires extendere videtur. Actio ejus triplex esse fertur, sedans, stimulans, astringens vel tonica.

a. *Sedans*.—Cum principium animalium vitale a calore tantopere pendeat, nequit dubitari quin frigoris potestas semper magis minusve sedat. Si nimis magna vel intensa est, principium vitale, vel in partibus singularibus, vel in corpore universo, extinguere potest. Hujus nimis multa exempla reperiunda.

b. *Stimulans*.—Cum frigus systemati in tempus breve admovetur, per spasmum ei illatum cordi arteriisque stimulo

mulo est, calorem partis, cui applicatur, et ruborem faciens. Si nivem, ex. gr. manui imponas, aliquantum renifus sensum frigoris brevi subsequitur.

c. *Astringens vel tonica.*—Si frigus modicum corporibus inanimatis admoveatur, omnes eorum partes non parum durat et contrahit, gravitatem iis veram adaugens. Eosdem effectus in fibras animatas edit, contractionem vasculorum superficiei, et igitur pallorem et perspirationem suppressam, faciens. Quinetiam probabile, hanc contractionem universo cum corpore aliqua ex parte communicari; et frigus igitur applicatum vi sua tonica totum systema firmare.

Verisimile, actionem frigoris semper prius esse sedantem, et potestatem stimulantem a renisu systematis vel conaminibus virium naturae medicatricium pendere. Igitur animus inclinatur ut credamus, homines contagione, si frigori quoque objiciantur, facilius affectum iri. Immo, exempla non defuerunt, ubi contagium in corpore iners latuit, donec actio ejus per frigus applicatum, quod hic ut causa occasionalis egit, fuit excitata. Frigus forsitan cum causis debilitantibus conjunctum synocham quoque facere potest; sed de hoc nihil pro certo affirmare aude-

mus.

mus. Quinetiam potestates solidorum simplicium et fibrarum motricium tonicas augendo, proclivitatem ad diathesin phlogisticam dat, et hoc modo morbos in plagis frigidioribus epidemicos indole inflammatoria, ut calor in calidioribus, eosdem putrida, impertitur.

Huic tribuendum quod tot febres speciem inflammationis prae se ferunt, quodque synochus forma febris in regionibus frigidis maxime communis.

## DE RATIONE SEMINIIS OCCURRENDI.

Causae debilitatis diligenter vitandae. Haec regula summi momenti, et, si febribus velis occurrere, nunquam negligenda. Cum causas debilitatis in parte hujus dissertationis superiore tam plene recensuerimus, minus hoc in loco superest de ratione ei occurrendi dicendum. Consilia sunt duo: Causas quae debilitatem et plenitudinem faciunt vitare, et vigorem tonumque systemati reddere.

### 1. *Causas quae debilitatem et plenitudinem faciunt vitare.*

Diaetam parciolem debilitatis causam praecipuam esse, supra diximus. Huic non facile obviam ibitur, nisi

ditiores misericordia tacti pauperculis, qui quantitatem alimenti salubris idoneam sibi nequeunt comparare, suppetias ferant. Caeterum, frequenter inopia alimenti non aeque culpanda, ac genus ejus parum idoneum. Igitur, quodnam genus sit saluberrimum pro virili monstrare conabimur.

Mistura cibi animalis et vegetabilis alimentum generi humano saluberrimum praebet. Haec vero regioni semper accommodanda. Incolis plagarum frigidarum, quam calidarum, melius conveniunt diaeta generosa, e cibo animalium potissimum confecta, ususque vini, &c. magis liberalis. Caeterum regionibus in calidis vel ardoribus aestivis substantibus, dum humores ad putredinem vergunt, victus talis esse debet qualis proclivitati hujusmodi aliqua ex parte occurrit. Igitur, calore invalescente, vegetabilia maximam diaetae partem constare debent. Acida et fructus non tantum putredini obsistunt, sed corpus refrigerant: Namque alvum solutam tenendo, et materiam putridam in canali alimentario, et calorem in systemate accumulari prohibent. Quantum potionem communem spectat, liquor, qui Anglice *punch* appellatur, dilutior omni alii anteponendus. Refrigerat, reficit, et ad febres, coelo

coelo humido et calido, et ad proclivitatem humorum ad putredinem arcendas, optime accommodatur.

In commodum mortalium cedit exercitationem ad munera vitae diversa, in quibus strenue agamus oportet, obeunda esse necessariam. Hae exercitationes autem, five negotia, five oblectamenta comitantur, saluberrimae sunt, quae modicae, sed diu continuantur, et inter quas positura naturalis adhibetur, et aër purus fatisque frigidus inhalatur. Nihil magis ad valetudinem commodam servandam confert quam exercitatio modica. Appetitum auget, fibras firmat, circuitum sanguinis promovet, secretiones magis copiosas reddit, et vigorem toti systemati comparat. Sed cavendum ne sit immodica. Nec violentior sit, nec nimis diu continuetur; omnis enim defatigatio corpus magnopere debilitat.

Animus corpus, ut supra posuimus, ita regit et gubernat, ut vi ejus motus vitales vel accelerentur vel retardentur. Ita hilaritas et gaudium circuitum accelerant, omnesque secretiones promovent, dum moestitia eadem semper retardat. Metus plerumque tempus in breve manet. Ei optime occurrit quae incutiunt vitare, et animos hominum negotiis vel labore distingere. Si vero aegrotus  
per

per dolorem amoremve parum felicem contristetur, eum ad societatem hilarium allicere, animumque a moestis ad laetiora gradatim abducere, conandum. Peregrinatio summis laudibus effertur, et utilissima, non tantum quod corpus exercet, sed quod animum, nova ei singulis horis objiciendo, oblectat, adeo ut nova menti altius infideant, vetustiora ea excidant. Negotium studiumque admodum utilia esse possunt, cum oblectamenta omnigena animo quam maxime grata efficiant. In exemplis hujusmodi musica, ars illa praestantissima, effectus felicissimos saepe edit. Eam summis laudibus ornat poeta celebris :

‘ What passion cannot Music raise and quell !’

DRYDEN.

Quantum hanc rem spectat, nihil consilio viri celeberrimi Dr Armstrong, quod omnibus coloribus elegantissimisque poeticis ornandum curavit, excellentius esse potest :

‘ O ye, whose souls relentless love has tam’d  
 ‘ To soft distress, or friends untimely fall’n !  
 ‘ Court not the luxury of tender thought;  
 ‘ Nor deem it impious to forget those pains  
 ‘ That hurt the living, nought avail the dead.

‘ Go,

- ‘ Go, soft Enthusiast ! quit the cypress grove,
- ‘ Nor to the rivulet’s lonely moanings tune
- ‘ Your sad complaint. Go, seek the chearful haunts
- ‘ Of men, and mingle with the bustling crowd ;
- ‘ Lay schemes for wealth, or power, or fame, the wish
- ‘ Of nobler minds, and push them night and day.’

Quod ad venerem attinet, regulas certas tradere difficillimum; quae enim in aliis nimia, in aliis modica. Omnes illecebrae et irritamenta ab arte petita valetudini admodum nociva, et diligenter fugienda. Mortales desiderio naturali viribusque corporeis regendi. Nimiam adhibuit, qui, opere peracto, frigescit, languescit, debilitatur.

De singulis aliarum causarum fusius differere non necessarium ducimus. Earum mentionem fecisse sufficit. Nonnullae calor, e. g. et mador, certis in locis nequeunt vitari. Rebus ita se habentibus, aut corpore per profusiones humorum nimias antecedentes debilitato, robur omni ratione quaerendum. Cum viam plenitudini occurrendi fuerimus executi, rationes tonum et vigorem systemati comparandi, idque igitur adversus causas excitantes magna ex parte tutum reddendi, referre pergemus.

Plenitudinem

Plenitudinem praeter consuetudinem magnam et debilitatem inde pendentem tollere, est ratio febribus occurrendi efficacissima. Plenitudo, ingesta et excreta exaequando, praecavenda vel corrigenda, quod vel ingesta imminuendo, vel excreta augendo, fieri potest. Ingesta diminui possunt, si alimenta quantitate minora adhibentur, vel minus nutrientia, i. e. alimenta talia, qualia sub eadem magnitudine et pondere minus materiae, quae in humores animales mutari potest, et plus ejus, quae ad transeundum per excernentia diversa proclivis, continent. Vegetabilia autem dotibus hujusmodi praedita, et diaetam ex hisce conflata, maxime idoneam esse putamus.

Excreta vero auget, et plenitudinem igitur systematis imminuit, exercitatio corporis aucta. Quo aequilibrium ingesta inter et excreta servetur, et eo plenitudini occurratur, ut exercitatio modica constanter adhibeatur necesse est.

Evacuationes ab arte petitae, ut sanguinis detractio, plenitudinis systematis imminuendae causa, possunt adhiberi; et, si plenitudo aliquando magna sit, ad eas decurrere cogimur. Hoc vero caute faciendum, nisi aegrotus sit robustus, et diathesis phlogistica evidenter invalescat; periculum

periculum enim, ne plenitudo, cui hac ratione occurrere cupimus, augeatur. Si sanguinem emittere omnino necesse sit, primum liberaliter, deinde modice, postremo parce detrahatur, donec hoc, aliisque remediis idoneis, velut exercitatione et diaeta vegetabili, plenitudo ex toto tollatur.

2. *Vigorem tonumque systemati reddere.*

Cum debilitas flacciditati solidorum motuique humorum torpido adjungatur, huic consilio, quod summi quidem momenti, respondent remedia, quae statum solidorum mutant, vel motum horum et humorum excitant. Haec autem sunt astringentia, tonica, stimulantia.

A. *Astringentia.*—Haec fibras animales emortuas condensant, et eisdem effectus in vivas edunt. Hinc firmitatem simplicium solidorum et cohaesionem, et igitur tonum fibrarum vivarum, adaugent, et lumina quoque vasorum imminuunt. Hoc revera praestare ostendunt, vis cordis arteriarumque contrahens fortior reddita, appetitus major, concoctio melior, evacuationes praeternaturales imminutae. Hinc patet utilissima esse, in exemplis, ubi adsunt magna relaxatio, et excretionum naturalium auctus.

tus. Praecipuum adstringens est alumen, quod votis optime respondet, cum debilitas relaxatione ventriculi et intestinorum stipatur. Cum vero alumen non omni ventriculo conveniat, alia astringentia, ut lignum Campechense, tinctura rosarum, vel vina rubra austera, in locum ejus substitui possunt.

B. *Tonica*.—Haec omnium remediorum, quae debilitati occurrendi consilio adhibentur, plerumque efficacissima. In modum astringentium laxitati habitus corporei obviam eunt, vim nervosam adaugent, et igitur ut functiones oeconomiae animalis diversae facilius peragantur faciunt. Contractiones cordis arteriarumque validiores efficiunt, tonum canalis alimentarii augent, concoctionem promovent. Hinc, ad occurrendum irritabilitati illi universae nimiae, quae aegrotum adeo vexat, ut tranquillitas animi ejus et corporis quolibet levissimo turbari periclitetur, optime accommodantur. Tonica autem praecipua sunt, balneum frigidum, chalybeata, amara, cortex Peruvianus.

a. *Balneum frigidum*.—Hoc remedium excellentissimum est, praesertim iis in locis ubi vis frigoris tonica non ali-

ter potest comparari. Effectus suos tonicos cum omni parte communicat, absorbentia et exhalantia firmat, et evacuationes spiraculorum cutis nimis copiosas compescit. Irritabilitatem, quae a calore nimio proficiscitur tollendo, plurimum prodest.

Aquam marinam, quam fontanam aut fluviatilem, cum salibus quae superficiem stimulant, et ad renisum systematis excitandum conferunt, abundet, debilitatis magis accommodari nonnulli, et forsitan non absque ratione, posuerunt. Quantum frigus aquae spectat, hoc pro viribus aegroti majus minusve esse debet. Si aqua nimis frigida sit, illum cordis renisum post lavationem, quem sensus caloris universi indicat, salutarem impediet. Bis, aut ad summum ter, singulis diebus lavare sufficiet. Si aegrotus sit debilis, in aqua momentum tantum manere, aut, quod melius, aqua ei superne affundi, debet.

Effectus boni balnei frigidi, praesertim in regionibus calidis, admodum insignes. Si aegrotus id neglectui habeat, hebes et languidus fit; contra, si mane usus fuerit, totum per diem vegetus et valens est, nihil detrimenti a calore capiens. Non adhibendum tamen, corpore calefacto, stomacho pleno, vel eruptione, quae apud Indos

Occidentales, Anglice, 'the prickly heat' nominatur, apparen-  
tente.

b. *Chalybeata*.—Chalybs acido adjunctus, et ex humo-  
ribus aqueis solubilis redditus, systema efficacissime firmat.  
Cum chalybs cum acido vetriolico conjungitur, sal mar-  
tis progeneratur, quod forsitan optimum ex hocce me-  
tallo praeparatum. Aquae chalybeatae systemati tonum,  
summo cum commodo, reddunt. Quod solum hujus u-  
sum vetat, est nimia vasorum plenitudo. Praeter effica-  
ciam aquarum chalybe imbutarum aegrotis, qui balnea  
publica petit, profunt mutatio aëris, exercitatio, otium, so-  
cietas grata.

c. *Amara*.—Haec, ob potestatem tonicam, in debilita-  
te chronica successu cum prospero frequenter adhiben-  
tur. Appetitum movere, concoctionem promovere, ac-  
tionem cordis et arteriarum augere, reperiuntur. Quae  
vulgo adhibentur ea sunt, gentiana, calamus aromaticus,  
carduus, aurantiorum cortex, columbae radix, chamae-  
melum.

d. *Cortex Peruvianus*.—Omnium remediorum tonico-  
rum, quorum mentionem injecimus, celeberrimum et ef-  
ficacif-

ficacissimum est cortex Peruvianus. Boni ejus effectus, brevi postquam in ventriculum ingestus est, sese ostendunt. Igitur in nervos ventriculi agere, et deinde actionem suam cum reliquo systemate nervoso communicare, creditur. Sub formis decocti, infusi, &c. variis sumi potest; sed pulvis dosi ampla datus reliquis plerumque efficacior. Cortex et amara cum vitriolico aliisque acidis mineralibus possunt conjungi, quod vires eorum majores, et saporem gratiorem, reddunt.

3. *Stimulantia*.—His adhibitis, fibrae ad actionem excitantur, vis cerebri exsuscitatur, circuitus sanguinis acceleratur, calor corporis et excretiones cutaneae augentur, concoctio promovetur. Hinc admodum utilia esse reperiuntur, cum debilitas magno languore stipatur. Alimentis admisceri vel per se sumi possunt; sed plerumque efficacissima tonicis adjuncta, quorum actionem salutarem promovent: Cavent quoque ne haec sensu ponderis et oppressionis ventriculum afficiant. Omnium stimulantium, quae novimus, tutissimum et efficacissimum est vinum. Et palato et ventriculo gratum. Dosis aetate, habitu corporeo aegroti, et effectibus quos edit, regenda. Nec hoc, nec quodlibet aliud stimulans, larga quantitate adhibendum; nam nimis liberaliter sumpta circuitum sanguinis

guinis morbidum movent, calorem praeter consuetudinem magnum prognerant, et corpori effectibus, qui usum eorum nimis liberum subsequuntur, sedantibus nocent. Ad alia stimulantia successu cum prospero quoque decurritur. Horum autem praecipua sunt spiritus ardentes, aromata, ut cinnamomum, zinziber, serpentaria Virginienfis, spiritus falesque volatiles. Succussus denique electricus, systema nervosum excitandi causa, saepius adhibetur.

Haec autem praecipua sunt quae systema validum reddunt et servant.

## DE RATIONE CAUSIS EXCITANTIBUS OCCURRENDI.

Hoc autem fit, causas excitantes vitando, originem earum praecidendo, et viribus earum nocivis obsistendo.

1. *Causas excitantes vitando.*——Hae ab unoquoque, cui ita facere licet, diligenter fugiendae. Febres plerumque praecaveri possunt, si modo locum possimus mutare. Namque non causa est, cur materiam morbos epidemicos mo-

ventem

ventem in aërem diffusam dotes suas nocivas retinere ponatur. Diffusa enim naturam suam adeo amittit, ut effectus sibi proprios non edat. Hoc idem de miasmatis palustribus affirmavimus, et multis exemplis potestates eorum nocivas, non longe a fonte suo semet diffundere, probavimus. Loca infalubria designant facillime rores copiosi noctu descendentes, aër a calidissimo frigidissimus subito factus; nebulae graves, quarum odor fossarum recens purgatarum proprium refert; examina muscarum et insectorum numerosa, quae ea loca tenere consueverunt. Morbi in commodum mortalium, tempestatibus etiam infalubribus certis locis continentur, et loca gravissima sibi vicina habent, quae tutum secessum et praesidium adversus morbos efficax praebent. Haec autem sunt edita, et temperata laterum collium, vel loca cacuminum montanorum ampla et plana. Haec sylvis liberata, admodum amoena et salubria evadunt. Igitur optandum est, ut advenae, infirmi, et omnes denique alii, quibus per negotia licet, temporibus gravioribus, loca ficciora, ad quae ventus libere adspirat, petant. Si ibi constanter nequeant manere, saltem ibi dormire debent. Nihil enim perniciosius, quam in locis palustribus pernoctare, cum potestates vitales per somnum sint magis debiles, adeo ut corpus hoc in statu miasmatum viribus minus possit ob-  
sistere.

fistere. Quinetiam exhalationes ipsae nocivae, cum sol occidit, ab aëre copiosius descendunt.

Secundum loca editiora, tempestatibus gravibus, utilissimus est aër marinus, et terrestri semper anteponendus. In parte dissertationis superiore, inquinamenta paludum dotes suas nocivas a fonte non longe diffundere monstravimus, et multi haud dubie morbis carerent, si in navibus a littore modice distantibus dormire sibi in animum inducerent. Hoc saepe apud Indos Occidentales successu cum prospero fieri solet.

Quantum contagionem spectat, hodie notissimum omnes, qui non nimis prope infectos, resve effluviis contagiosis imbutas, accedunt, a contagione immunes esse futuros. Cullenus celeberrimus in praelectionibus suis refert, pestem, cujus contagio, quam ulla alia quam noverimus, gravior, in aliqua Asiae minoris parte, quotannis epidemice grassari, et Gallos Italosque tamen, semet in domos suas includendo, eam ex toto vitare. Ita probabile, parvam distantiam homines adversus contagionem tutos esse reddituram, si nullus aëris cursus sit, qui effluvia hominum merciumve longe vehat.

2. *Originem earum praecidendo.*—Sub hoc capite comprehenduntur paludes, substantiae effluviis contagiosis imbutae, loca nimis arcta, nullumque perflatum habentia, ut carceres, &c.

Paludes sunt exsiccandae: Ratio hoc faciendi ab agriculturae peritis discenda. Compertum habemus quamlibet regionem, quo magis colitur, eo magis salubrem constanter evadere, et Lindus sagacissimus Guineam ipsam, si eadem illi cultura impenderetur, insula Barbadoensi non minus fore salubrem, opinatur. Substantiae quibus nociva effluvia humana adhaerent, velut vestimenta, suppellex, &c. purificandae, vel, si non pretiosae, comburendae. Ubicunque hoc venenum lateat, et quibuscunque rebus insit, aërem recentem admissum id saepe non sublaturum probe novimus. Caeterum, hoc consilio, ratio navem infectam purgandi, quae a Lindo laudatur, eodem cum commodo terra adhiberi potest. Cubiculum, ubi aeger cubuit, et etiam vestimenta et supellex, prius aqua, deinde aceto calido, lavanda. Hoc facto, omnia in cubiculum reportanda et fenestrae arcte claudendae. Deinde, pulvis nitratus parvis quantitatibus accendendus, donec cubiculum fumo ex toto repleatur. Hoc facto, qui hoc munere fungitur, is fores claudere, et vaporem paucas horas

horas continere debet. Si contagionem admodum gravem esse suspiceris, processus repetendus, et vestimenta sulphure fumiganda. Fenestrae et fores nunc recludendae, adeo ut cubiculum plenum habeat perflatum. Lavatio reiteranda, et postremo ligna sicca et herbae aromaticae accendendae, quibus aliquantum nicotianae, si necessarium esse videtur, potest adjungi. Quo generatio febrium in carceribus, navibus, nosocomiis, aliisque locis arctioribus, ubi multitudo hominum collecta, praecaveatur, omnia quam maxime munda et pura servantur, et aer recens constanter admittatur. Ortui febrium in locis hujusmodi per instrumenta, quae Anglice *ventilators* nominantur, frequenter occurri posse, nobis persuasum.

3. *Viribus earum occurrendo.*—Hoc faciendum actionem causarum excitantium per externa imminuendo, et corpus adversus actionem earum tutum per remedia interna reddendo. De his fusius supra diximus; sed considerata adhuc supersunt praesidia ab iis, qui semet causis excitantibus objicere coguntur, adhibenda. Quo actio effluviolum, quae a corporibus morbis contagiosis laborantium oriuntur, imminuatur, fluentum aeris puri et recentis in cubiculum constanter admittendum, acetum juxta lectum evaporandum, et summa munditiarum ratio habenda. Qui aegrotos invisunt, ii ad eos, ventriculo vacuo, nunquam

quam appropinquare debent. Aliquantulo lini ex aceto intincto nares obturandae. Pauxillum corticis Peruviani, calamive aromatici aceto madefacti, dum in cubiculo manent, debent mandere, et egressi os manusque colluere.

Praesidiorum, quae interne adhibenda, optima sunt, *cortex Peruvianus*, per se sumptus vel amaris aromatise, sub qualibet forma quae gratissima, adjunctus; *acida*, *vinum*. Dr Kramer, qui medicus exercitus Imperatoris Germanici primarius fuit, refert, totam cohortem ab impetu febris malignae in Italia per usum corticis immunem fuisse servatam, dum reliquus exercitus Austriacus, eadem prophylaxi non utens, ea magnopere fuit vexatus.

Quantum ad eos attinet, qui semet miasmatis palustribus obiectare coguntur, ut omnem causam debilitantem fugiant, ut dosin corticis Peruviani bis terve de die fument, vinumque sub noctem modice bibant, ut ignem prae foribus, aliove domus introitu, cum sol occidit, perpetuum habeant, ut in loco a viribus miasmatum probe defenso dormiant, hortamur.

Effectibus denique frigoris, cum intensius, occurrunt victus lautior, liquores vinosi, exercitatio, vestimenta calida, ignis.

